



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Imago Primi Saecvli Societatis Iesv**

**Bolland, Johannes**

**Antverpiae, 1640**

Oratio Septima. De votis Societatis, & eorum renouatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97844](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97844)

sed ex hac gubernandi prudentiâ singulis momentis vberissimi gratissimi-  
 que fructus proueniunt; quos aliunde sperare vix liceat. Si enim à Societatis hominibus elementa fidei, aut litteraturæ, imperitis traduntur; si concionibus frequens auditor instruitur; si obeuntur valetudinaria; si precatiōni, si studiis doctrinarum incumbitur; si animorum eluuntur labes; si reuocantur ad salutem perditī, ad veritatem errantes, ad concordiam inimici, ad pietatem militiā, ad religionem impietas; si infinita panē volumina ad omnem ingeniorum culturam conscribuntur; quibusnam hæc auspiciis inchoata, quo impulsu excitata, & prouecta sunt? Gubernantium non tam imperio, quàm ratione ac ductu. Iidem Societatis homines peragant maria citra tempestatum & naufragiorum horrorem; terras inuias virtute aperiunt, quasi dulcedinem patriæ nullam vniquam degustassent; cum voluptate ad squalorem carcerum ac situm aduolant; reorum animos ad constantiam & æquitatem componunt; martyria tamquam solatia, ignominias tamquam decora, cruces tamquam trophæa consecrantur; vno verbo, omnibus omnia fieri fatagunt. Quis illis inceptor? quis auctor? Rectorum dextera & nutus, vbique præsens, vbique peruigil, vbique quot iussorum, tot bonorum ferax. Quod si quis ex me nunc sciscitetur, quid præcipuè sit in hoc Societatis regimine, vnde tanta fructuum, quos carpinus & admiramus, existat vbertas; non inficiabor, id me semper eximie regentium charitati & paternæ beneuolentiæ tribuisse. Et Athenas quidem ferunt sempiternam in arce oleam tenere potuisse: in Societatis autem arce, quæ est eiusdem gubernatio, sempiterna mihi videtur olea non florere tantum, sed exundante quâdam mitissimi liquoris dulcedine scaturire. Hoc oleum est *illa in Prælatione benignitas ac mansuetudo*, illa *charitas Christi*, illa *Petri Paulique formula*, cuius memoriam Iulius III. Pontifex Maximus summo Societatis Arbitro, ceterisque Præsidibus voluit esse perpetuam. Hoc oleum ex venerando Aaronis vertice in membra eius defluens, & in extremas vestimenti eius oras descendens, imperio reuerentiam, auctoritati amorem, obedientiæ promptitudinem, laboribus perseuerantiam, leuitatem oneribus, toti denique gubernationi efficaciam cum suauitate coniunctam, cuius vigore adhuc Societas floruit, impertitur.

*esse effecta,*

*Et nodus, charitas Præpositorum.*

Iulius III.

## ORATIO SEPTIMA.

*De votis Societatis, & eorum renouatione.*

*In funiculis Adam traham illos, in vinculis charitatis. Osee II.*

**E**st hoc non tantum ratione præditis, sed etiam brutis animantibus naturæ lege dictatum, RR. Patres, Fratresque charissimi, ut omnem semper vim, seruitutem, vincula, quacumque ope possunt, à corpore, à capite, à vitâ suâ propulsent. Prouidit enim, quod in se fuit, illa rerum omnium parens, ne quis alieni fieret mancipij, quem liberum ipsa genuisset. Hinc ille multorum in perdomandis feris irritus plerumque labor: hinc illæ Romanæ plebis olim secessiones in Montem Sacrum: hinc denique apud Athenienses eorum, qui tyrannos è medio

*Libertatis amor omnibus à natura insitus.*

dio sustulerunt, statuae propè ad diuinitatem immortalis posterorum  
 memoriae consecratae: Suauè nimirum est ipsum etiam libertatis no-  
 men: vincula autem, catenae, carceres, & si qua sunt eiusmodi, malè  
 ominata, & feris etiam excutienda & procul arcenda censentur: Sed in-  
 terest inter veram falsamque libertatem: & est in ipsis fortasse vinculis,  
 quod conceptis etiam votis cupias pacisci. Ac veram quidem libertatem  
 video procul à vulgi sensu & opinione semotam. *Veralibet-  
tas qua.* Quis enim sanioris  
 animi, libertatem in festucâ, pileo, vindictâ constituat? Quis hunc libe-  
 rum arbitretur, quem è Cappadocum grege exemptum vnica circumdu-  
 ctio *Qui*ritem facit, vt momento turbinis exsiliat Marcus Dama, qui se  
 Bruto liberiores esse confirmet, cum sibi facta sit potestas, quidquid li-  
 bido suaserit, exsequendi? Quanto rectius Periander, cui nihil aliud vera  
 ac germana libertas, quam inculpatæ conscientiae testimonium? Nisi  
 fortè mancipijs de lapide emptis nobiliores, aut magis ingenuos existi-  
 mamus eos, qui deliciis enervati, libidinibus æstuantes, auaritiæ curis  
 exsanguis, toties in Circaeis catactis degeneri ceruice herile iugum sub-  
 ierunt, quot se vitijs ac flagitijs venales obtulerunt. Hæ sunt catactæ,  
 hæc malè ominata vincula, quæ veram ingenuitatem libertatemque  
 pessumdant. Sunt tamen alia quædam vincula, sunt alij funiculi, qui  
 non modò libertati nihil officiant; sed eidem, vt suis numeris absoluta  
 sit, non rarò momentum aliquod adijciunt. *Vincula  
quadam  
optanda.* Quis enim se cum ipsis  
 Christianæ Reip. ornamentis ac luminibus quam arctissimo necessitu-  
 dinis aut familiaritatis vinculo nolit esse constrictum? Et verò nec bene-  
 ficiorum laqueos plerique declinant: nec desunt *queis* vincula iugalia curæ.  
 Quæ tamen si quis suis momentis expensa solidum libertatis pondus ob-  
 tinere non posse contenderit; non ego illi magnopere aduerfabor. hoc  
 tantum dicam; vt cumque se res habeat in pactis & conuentis humanis,  
 si hæc ipsa homini cum Deo intercesserint, tum verò exsistere illud ne-  
 scio quid singulare ac propè diuinum, ad quod votis omnibus adspirare  
 debemus. Hi sunt igitur funiculi Adam, hæc vincula charitatis, quibus  
 Deus animam nostram velut sponsam spiritualem post se rapit in odo-  
 rem vnguentorum suorum: hæc est, vt cum Theologis loquar, suavis  
 illa præuenientium & concomitantium gratiarum velut catenata series,  
 quibus ita congruè voluntatem circumligat, sic affectibus nostris do-  
 minatur, tantum vt non fatali quâdam necessitate constringi videantur.  
 Hæc denique sunt vincula illa coniugalia æterni coniugij pronuba, vota,  
 inquam, Religionis à plerisque vestrum pronuntiata. quæ cum animus  
 stupore defixus hodiernâ die suspexisset, & in his diuinum illum Spon-  
 sum cælestibus hisce nuptiis indulgentem; eructauit nimirum cor meum  
 verbum bonum, vixque exæstuantis ardorem pectoris tantisper suppres-  
 si, dum frequentiore coronâ circumseptus, qualicumque hoc acroamate  
 cælestibus hisce thalamis accinerem. Tandem igitur æs alienum, quo  
 me Sponsi nostri benignitas hoc tempore obærauit, quoad potero, om-  
 ne dissoluam, & spiritualibus hisce nuptiis applausor accedam. Laudabo  
 connubialia hæc vincula, vincula charitatis, Sponsum commendabo  
 ac sponsas: & quoniam id quoque votorum formulâ contineri video,  
 illas, antiquo ritu in domo Sponsi vt perpetuò degant, exhortabor. Sed  
 quia nimis laudes fascino putantur obnoxie, non deerunt hæc mihi fe-



tandem pœnitudine cicatrices obduximus. Quinam, obsecro, fuimus, priusquam potentissimus simul & amicissimus ille Monarcha de terrâ Pl. 126. fuscitaret inopes, & de stercore erigeret pauperes, vt collocaret nos cum principibus, cum principibus populi sui? Quæ nostra tam præclara tunc Deum immerentes ad amorem trahit. in Deum merita exstiterunt? imò quæ non potiùs offensionis materia? Et tamen, ô stupenda Dei consilia! quid aliud scelerum nostrorum tempestates ac procellæ, quàm diuini amoris incendio fomitem ac materiam præbuerunt? Deus immortalis! Liceat mihi tantisper amorem illum tuum incomposito stupore venerari. Volutabatur aliquis nostrum in cœno turpitudinis; & tamen amicè inuitabas iam non sponsam, sed adulteram. Eneruabatur alius deliciis, fractisque temperantiæ repagulis, abdomini se deuouebat; tu tamen in præceptis ruenti subinde peramanter aurem vellicabas: nec repulsam passus, hoc segrè instabas. Pars multò maxima, te contempto, fumos honorum sectabatur; & vt in fabulis Ixion pro Iunone nubem, aut vmbra pro Creüsâ Æneas, sic illi pro verâ felicitate auras inanes amplectebantur: nec tamen, cum te fumo posthaberi cerneret, tam nefarium amoris tui contemptum meritissimo contemptu vindicabas. Sed quid ego vindictam loquor? sit hæc Dei patientia erga peccantes. inter homines amoris contempti merces: at longè aliud æstuat in illo Sponsi cælestis pectore amoris incendium; & quos ad redamandum nullis prouocatus meritis potuit inuitare, eorundem fastidiosa repudia poterit absque amoris dispendio concoquere. Fallor? an etiam post fidem violatam & conculcata sua vota, blandientem audio? Ierem. 3. *Vulgò, inquit, dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alium, numquid reuertetur ad eum ultra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Leua oculos tuos in directum, & vide ubi non prostrata sis. Ergo saltem amodò voca me: Pater meus, dux virginittatis mee tu es.* His similibusque amantium illecebris delinita quid faceret anima Christiana?

— placitòne etiam pugnaret amor?

ac non potiùs votis nuncupatis promptissimè cælestes iniret nuptias? & tam blando reconciliatæ gratiæ pignore accepto, in optatos conuolaret amplexus? Hi sunt itaque funiculi Adam, hæc vincula spiritualis coniugij. Quæ quàm firma quamque insolubilia esse conueniat, antiqui hoc Vota Deo facta sunt firma. simbolo non obscure significarunt, dum nupturæ cingulum Herculeo nodo constringi voluerunt. qui nodus eamne formam habuerit, quam circa Mercurij caduceum implexi angues, vt Macrobio placet, an aliam, quam philologi quidam pertendunt, nec huius loci est, & per se minutum disquirere: hoc certè constat, eum ita fuisse perplexum, vt ab Alexandro non nisi acinace diffringi potuerit. Neque verò alium in scopum Beatissimus Fundator noster, huiusque coniugij paranympus, semestrem hanc votorum renouationem direxit, quàm vt noui semper nexus accessione fidem cælesti Sponsò datam corroboraret, & hoc pignore toties iterato magis nos illi magisque animo & affectu coniungeret.

Porro si personæ dignitas, si forma, si maiestas pactis conuentis aliquid firmitatis adijcere possunt; certè hæc in C H R I S T O summa omnia reperiuntur. Si ergo rebus fluxis & caducis, imò puerilibus, vt sic dicam, cre-

crepundiis, nullo nostro emolumento, cælestium autem bonorum etiam dispendio singulari, aliquando potuit amor noster adhærescere; poteritne supremi rerum omnium Monarchæ iugum, nullo dispendij metu, præmio verò infinito proposito, rebellis excutere? præsertim, Patres Fratresque charissimi, cum suaue sit iugum Domini, & amica vincula, quibus nos amor illaqueat. Quod vsque adeo verum est, vt interdum detestanda quælibet & intolerabilia, suauitate quadam condita reddat acceptissima. An non Ioles iugum, Heroi illi tantopere pudendum, suaue tamen est visum? quid mirum? amor induerat. An non Dalila illius vincula delicias suas etiam cum manifestò vitæ discrimine Samson frequentauit? quid mirum? erant amoris vincula. Et verò si vimbris interdum solem metimur, & ex fabulis de Deo coniecturam facimus; an non Amor tela Diespitræ intentata vnico versu eludens introducitur?

*Quid si iterum posito fulmine cygnus eris?*

Quòd si hæc adeo detestanda, adeo detestanda, nihilo tamen segnitiùs fuerit desiderata; poteruntne sanctissima hæc vota, castissimi amoris vincula, quæ Deus ipse rata habet, dissoluenda cuiquam mortalium videri? Non veniat vnquam Religioso huic cœtui tam funesta dies, quàm vel vnus aliquis ex hoc numero fidem hodiernis votis Deo datam fallat. Auertat hoc ab vnoquoque nostrum diuina bonitas, vt ne quis sui Deique oblitus, à cælesti coniugio ad profanos amores, à spiritualibus deliciis ad porcorum siliquas relabatur. quod ego malorum omnium extremum esse iudico. *Quæ enim anima (vt rectè philosophatur Bernardus) semel à Domino didicit intrare ad seipsam, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare; nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliùsve ducat, quàm post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem exire denuò ad illecebras; vel potiùs molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem.*

Maneat igitur, hæc vincula connubialia non tantum ferrea, sed etiam adamantina, vt sic dicam, esse oportere. Nunc cetera breuiter expediamus. Video enim hac votorum nostrorum formulâ, non minus quàm apud antiquos, nuptiarum auspices adhiberi. Est enim & nobis nostra Gamelia, non illa Cinxia Iuno ( sic dicta à dissolueno virginittatis cingulo ) sed purissima Virgo M A R I A , omnis virginittatis & mater & custos: non vmbra illius Tonantis & soror & coniux, sed veri Tonantis & soror & mater, imò & mater & filia. Coram hac velut pronubâ contrahere nos profitemur, cum dicimus: *Voueo coram sacratissimâ Virgine M A R I A*. Rursus non coram Picumnis aut Pylumnis, vt Romani; non coram Euclia statuâ, vt Loenses & Bœotij, sed coram *Curia cælesti vniuersâ*. Hi sunt nobis auspices, hi præfites, hi fidei iussores, qui explendis connubialibus pactis non præesse magis gaudent, quàm prodesse desiderant. Sed quid, inquiet aliquis, à me requirunt hæc pacta connubialia? nimirum vt id quod in profano contractu nuptiarum valet, valeat idem in spirituali, cum in hoc idem pondus obtineat verbum Voueo, quod in pactis connubialibus verbum Volo. Si ergo de illis pronuntiatum est, *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhæbit uxori suæ: & erunt duo in carne vnâ;* cui dubium esse potest, quin id æquè pertineat ad spirituales hæc nuptias? Atque haud scio an non multo etiam conueniat magis, cum longè perfectior sit animorum, quàm

*Fidem Deo datam saltere funestum. Serm. 15. in Cant.*

*Vota Religiosa quid à nobis requirant.*

*Gen. 2. Dei amor amorem conjugalem superat.*

quàm corporum coniunctio. Commendet igitur qui volet affectum coniugalem, eumque à primâ sui origine, notâque illâ primi coniugij necessitudine arcesat, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ;* Gen. 2. dabo non inferiora in hoc spiritali coniugio. Cum enim caelestis Pater animam nostram Filio suo desponsare percuperet (quid non commentus est ingeniosus amor?) imitatione quâdam prioris illius inuenti immisit soporem in alterum hunc Adamum, dum illum nostri causâ in crucem actum aeterno consilio decretâ morte consopiuit: & sic intimis cordis penentralibus lanceâ patefactis ex ostro illo pretiosi sanguinis destinatam Filio suo sponsam nobiliore vitâ reformauit. O verè fortis vt mors dilectio, dura sicut infernus amulatio! Potuítne Deus immemor Filij sui, & suâ Maiestatís quasi immemor fieri, tantum vt ne immemor esset amoris? Sed praestat hoc amoris mysterium silentio venerari, quàm parum pro dignitate explicare. Iam verò leuia praë his summis & futilia videbuntur, quæ de Catharinâ Senensi grauissimi auctores memoriæ prodiderunt, licet sint ipsa per se maxima. Quid enim admiratione dignius, quàm CHRISTVM ter Optimum Maximum cor proprio pectore exemptum cum virginis illius corde permutasse? Atqui ludus hic amori diuino quotidie luditur, si non vt oculis, certè vt interiori consolatione deprehendi possit. An non ergo luce meridianâ clarius, omnem coniunctionem, quantacumque sit, ab his Religionis vinculis, diuinoque animorum nexu, longo discriminis interuallo praeteriri? Quod si interdum non desultoriâ cogitatione, sed accurato mentis examine pensitaremus, essetne aliquis tam demens, qui tam exoptatum amoris foedus infectum vellet? essetne qui facris illis paupertatis, castitatis & obedientiæ vinculis expediri desideraret? essetne quem conditionis suæ puderet aut poeniteret? essetne tandem (quod in his nuptiis fescenninâ licentiâ dictum sit) qui votiæ paupertatis immemor, materna scruta aut fortasse sulfurata ramenta specioso mercaturæ titulo cohonestaret, tantum ne audiret pauperum sanguis? qui rus paternum hyperbolico vallo cingeret, portisque ac turribus exornaret? qui emendicaret fumosa per atria ceras & ignota stemmata, ne ad merum rus, incultamque stiuam, pertinere videretur? Certè Sponsum nostrum nec abiectæ conditionis, nec fabrilium segmentorum puduit. Rursus, si vota Deo virginitas mentibus nostris obuersaretur, essetne qui palabundus extra Religiosæ modestiæ septa tanto suo periculo frenum oculis indulgeret? praesertim cum nostri sit Instituti, libidinosorum oculos, illos, inquam, qui florem omnis pudicitiae in vultu delibant, in gyrum rationis & continentiae tum verbo tum exemplo reuocare. Denique si perfectæ obedientiæ desiderio teneremur; Deus immortalis, quantas quoties occasiones, quàm præclaras habuimus?

Hæc igitur sunt, quæ hodierna pacta conuenta à nobis exigunt, si sanctam hanc Societatem ingredi, ad vitam in eâ perpetuò degendam velimus: ad quod extremo loco vos vt exhortarer, tum votorum formula, tum instituti mei ratio postulabat. Fuit igitur hoc olim in more positum, vt in Bœotiâ currus illius, quo vecta erat ad ædes mariti noua nupta, praë foribus axem comburerent, ne per diuortium vllò vnquam tempore penatibus illis valediceret: idque vt vtrique coniugi benè verteret, pia vota nuncupabant. Et ne solis hoc Bœotis existimemus boni ominis fuisse,

Vota præstanda sunt.

Amor Dei debet esse constans.

Aug. l. 6. de  
Ciu. c. 9.

Mundi  
pericula.

Hier. Ep. 11.

Leo Serm. 11  
de Quadrag.

Bern. Serm.  
de quarente  
margaritas.  
Vita Re-  
ligiosa se-  
curitas.

Religiosa  
vita suavi-  
tas.

fuisse, testis est D. Augustinus à Romanis quoque & Domidicum qui sponsam domum deduceret, & Domitium ut domi esset, & Manturnum ut domi maneret, adhibitos fuisse. Ego verò sic statuo, nihil à me quidquam ad hoc institutum accommodatius afferri posse, quàm si vobis in aedes Sponsi oratione meâ iam deductis auctor fuero, ut vnusquisque vestrum serio attenteque perpendat cum D. Bernardo, vnde sit erutus, & vbi sit constitutus. Et quidem vnde eruti simus ( videlicet è periculosis huius mundi fluctibus, cæcisque nubibus ac procellis ) negotij nihil est cognoscere. Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas habere credimus agitationes, quot fluctus, & quantas perturbationes habet hoc mare magnum tot bonorum naufragijs infame? quod eò sanè periculosius est, quò blandiorem vultum ac malaciam sauiissimis suis tempestatibus præterdit. Prorsus ut non immeritò, tanquam naufragio in littus eiectus, exclamet D. Hieronymus: *Etiam si in morem stagni rideat effusum mare, etiam si vix extrema Zephyris terga crispentur sali; nolite credere, nolite esse securi: magnos hic campus montes habet: expedites rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus; tranquillitas illa, tempestas est.* Quid enim aliud est quàm multiplex tempestas, dum hinc æstu suo Charybdis luxuriæ salutem vorat, inde ore virgineo ad pudicitiam perpetranda naufragia Scylla ceu renidens libido blanditur, hinc barbarum littus, illinc archipirata diabolus? *Quis vel tot infidiis non expugnetur, vel blanditiis non acquiescat? Magni enim laboris est* ( liceat id mihi cum D. Leone asserere ) *cùm vndique innumera voluptatum illecebræ blandiantur, ad nulla contagia vigorem animi relaxare. Quis picem tangit, & non inquinatur ab eâ? quis non infirmatur in carne? quis non sordescit in puluere? quis tanta est puritatis, ut is non polluat, sine quibus vita non ducitur?* En itaque malorum diluuium, vnde erepti fumus: vbi verò fumus constituti, paucis ex ipso Bernardo discamus: *Nonne hæc est, inquit, Religio sancta, pura, immaculata, in qua homo viuit purius, cadit rarius, surgit velocius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, remuneratur copiosius?* Satisne, Fratres charissimi, aut ad dignitatem splendide, aut ad emolumentum fructuosè?

Quid si igitur ad cumulum tot tantorumque bonorum voluptatis accesserit illecebra? eritne causa, cur non tantum libenti, sed etiam alacri animo in domo Sponsi vitam perpetuò degamus? Scio plerisque hominum aliter esse persuasum de diuino obsequio. Intuentur scilicet in viris Religiosis longas rerum diuinarum commentationes, vltroque supplicia, lacrymas poenitentis, vitam ad alienum arbitrium adaptatam, ceteraque generis eiusdem, in quibus vulgus hominum ( cum nullum vere virtutis gustum habeat ) nihil non acerbum esse arbitratur ac molestum. Sed nescimus, inquit Seneca, res æstimare, de quibus non cum famâ, sed cum rerum naturâ deliberandum est. Siquis igitur ita sit animo comparatus, ut nihil lætum, nihil suauè, nihil in vitâ mortalibus expetendum putet, nisi quod aut sensus moueat, aut lumbos scalpat, aut abdomen expleat; cum hoc nihil mihi negotij est: sin hoc nemo vestrum ita sentit, illud breuiter venit expendendum, quænam sint illæ Religiosæ vitæ deliciæ, in quibus animus omni curâ solutus conquiescit. Hæc sunt, ut compendio eloquar, diuinarum consolationum prælibatio, studium orationis, zelus animarum, inculpatæ conscientie tranquillitas, sanctis-

simæ

simæ Eucharistiæ cæleste conuiuium: addo & corporis & passionum  
 compressionem: denique quod & Moyses thesauris Ægyptiorum,  
 B. Aloysius Hispanicæ aulae deliciis prætulit, improprium CHRISTI.  
 Paradoxa sunt hæc, fateor, profanis illis mundi affectis: sed nos sanctio-  
 nis vitæ præceptis instituti, eliciamus ex his paulisper recondita animo-  
 rum sensa, & latentem sub duro cortice affectuum teneritudinem enu-  
 cleemus. Dic mihi, obsecro, parumne cælesti consolatione perfructus vi-  
 detur D. Franciscus, cum, accepto diuinitus futuræ beatitudinis suæ pigno-  
 re, per multos dies illud identidem decantat: *Letatus sum in his quæ dicta* Pl. 122.  
*sunt mihi: In domum Domini ibimus? Quid? cum exundante diuini amo-*  
 ris æstu exclamat alius, Satis est, Domine, satis est; nullane voluptate  
 videtur delibutus? Rursus, cum idem scribit inter horrida Mauricæ ve-  
 preta, & inter scariorum mucrones, tantis se incedere lætitiis, vt horri-  
 dam illam solitudinem paradisi deliciarum potius appellandam iu-  
 dicet, nullane cælesti dulcedine recreatus est? Denique cum Sanctissimus  
 Parens noster Ignatius, inardescente diuini amoris sole, totus instar niuis  
 in lacrymas identidem colliquefit; omni vitæ solatio videtur destitutus?  
 Quid simile huius Babylonis, licet aureum propinet calicem? cuius om-  
 nes voluptates euanidæ sunt & exiles, cædæ, momentaneæ, caducæ, &  
 quod caput est, non raro cum graui salutis periculo coniunctæ. Lon-  
 gus nunc sum, & fortassis post has delicias etiam molestus, si cetera,  
 quæ nos in domo Sponsi, id est in Societate nostrâ, aut admiratione  
 defixos, aut voluptate perfructus detinere possunt, exsequi voluero: si  
 nimirum suauissimum sodalium conuictum, si consensionem animo-  
 rum, si exercitiorum varietatem, si ornamenta doctrinæ, si hierarchi-  
 cam subordinationem, si denique totius Societatis splendorem ac  
 dignitatem oculis vestris subiecero. Quare vela contraho, & cum hæc  
 omnia cælestis Salomonis, dilectissimi, inquam, sponsi nostri, gloriæ sub-  
 feruire considero; totus in stuporem abreptus, & vixdum felicitatem om-  
 nium nostrum capiens, hoc vnicum sapientissimæ Reginæ epiphonema  
 subiicio: *Beati viri tui, & beati serui tui, Domine, qui stant coram te semper,*  
*& audiunt sapientiam tuam.* In Socie-  
tate viuere  
beatum.  
3. Reg. 10. Agite ergo RR. Patres, Fratresque charissimi,  
 videtis huius spiritualis coniugij dignitatem, videtis hæc amoris vincula  
 quauis libertate magis expetenda, videtis augustissimam cælestis Sponsi  
 Maiestatem, in cuius fidem ac familiam legitimam pactione translata estis.  
 quid restat, nisi vt hortor vos atque obtester, ne huius beneficij fructum  
 solâ delectatione metiri velitis. Etenim si apiculæ floribus insidentes, in  
 quibus ceteri nihil nisi pulchritudinem & amoenitatem admirantur,  
 suauissimum ex illis mel eliciunt, quantum id vobis cælesti lumine perfructus  
 faciendum est magis? Nostis quid Instituti ratio à vobis exigat, nostis  
 quantam virtutis ac perfectionis segetem ac materiam subministret.  
 Nolite tam propensæ cælestis Sponsi beneuolentiæ deesse: nolite tam  
 quæstuosum diuini amoris commercium repudiare. date dilectum pro  
 dilecto (non potest vlla compendiosior versura cogitari) eius decretis  
 acquiescite, eius nutus obseruate, eius desideria præuenite. Denique to-  
 tius vitæ rationes sic institute, vt illi vos probetis, cuius vel amoris vel  
 obsequio vos consecratis. Dixi.